

eductæ: quæ ubi in Græciam venerunt, classem illam cum
qua superiore anno Veneti non fuerant ausi congregari, ad
Venetarum rerum populationem Bosphoro egressam, ad
portum quem *Septem porcos* dicunt, obviam habuit. Utra-
que alteram conipicata confessim se ad pugnam expediunt,
magnoque deinde impetu configunt; pugna quidem ab ini-
tio acerrima fuit, sed ut non in longum distracta, ita pro
numero navium parum omnino cruenta. Genuenses fuga,
quatuor amissis navibus, remis connixi in Epidauri portum
se trepidi receperunt. Sed Ligur quatuor amissarum navium
cladem paucis diebus resarsit, tribus Venetorum onerariis
commeatu onustis subito incursu interceptis. Et quanquam
omnis vis belli circa insulas & ipsam Ægei maris oram,
quæ a Peloponneso ad Hellespontum est, incubuisset, in
Syria tamen haud res omnino quietæ erant, Venetis Pto-
lemaide tenentibus, quibus omnes fere Italici generis ho-
mines, qui Hierosolymis erant, ita favebant, ut plane ap-
pareret, Venetis rebus eos magis quam Ligusticis studere:
contra qui Tyrum incolebant, enixe favere Genuensibus.
Quo accedit, ut omne Christianum nomen quod ea tempe-
state in Syria fuit, in duorum præpotentum populorum cer-
tamen erectum, tanquam in diversas factiones abierit: ipsæ
que interim urbes tanto labore ac sanguine a crudelissimo
Mahomethi imperio quandoque vindicatae, infando bello
ac sane detestabili mutuis se cladibus affligerent. Verum
ne suarum rerum Veneti obliti viderentur, tertio primi
hujus Ligustici belli, seu (ut alii tradunt) quarto anno,
triremes quinque ac quinquaginta, vel (ut quidam auco-
res sunt) septem & triginta in Genuenses hostes paravere:
quæ in altum deductæ in Siciliam usque sunt progressæ;
ubi rumor erat Ligusticam classem esse; sed hoste non re-
perto, in Syriam continuo cursum flexere, ac prope in
conspectu Tyri, cæteam hostium navim adeptæ oppresse-
runt. Quo successu & alacritate in portum delati, urbem
quoque Veneti expugnare sunt adorti. Præsidio tunc urbi
erat Andreas Barotius, homo impiger: is, quanquam ab
Ptolemaide quoque Veneti copias accersissent, ut terra ma-

*Genuenses
videt ad Se-
pem porcos
quatuor na-
ves amit-
tunt.*